

# **Badische Landesbibliothek Karlsruhe**

**Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe**

## **Sanctae Mechtildis virginis ordinis Sancti Benedicti Liber specialis gratiae**

**Mechthild <von Hackeborn>  
Mechthild <von Magdeburg>**

**Pictavii, 1877**

Caput XLVI. De Christo desiderio.

[urn:nbn:de:bsz:31-60070](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-60070)

## CAPUT XLVI.

## DE CHRISTI DESIDERIO.

ITEM cum vice alia regratiaretur Deo pro desiderio quod habuit, cum dixit: *Desiderio desideravi hoc pascha manducare vobiscum* (Luc. xxii. 15), responsum accepit a Domino: « Vellem ut omnes recordarentur quod tanto tempore fuit protractum desiderium meum; et non deficerent, cum eorum desideria dispensatione divina protrahuntur. »

## CAPUT XLVII.

## DE QUADRUP.LICI ORATIONE.

ITEM audiens cantari Responsorium: *Vidi civitatem sanctam Jerusalem ornatam, et compositam de orationibus Sanctorum*, cogitabat quomodo civitas orationibus componi posset, et ornari. Ad quod Dominus respondit: « Quatuor orationum generibus hæc civitas, velut auro et gemmis, decantissime decoratur. Primum est cum Electi pro peccatis suis humili et contrito corde in oratione veniam sibi poscunt; secundum est cum homines in tribulationibus per orationem ad Deum confugiunt et quærunt relevari. Tertium est cum quis, fraternæ charitatis affectu, pro necessitate et miseria alterius intercedit. Hæc oratio multum accepta est Deo, et cælestis Jerusalem ab inde non modicum insignitur. Quartum est cum puro ex amore, quo Deum quis diligit, pro

Oratio  
multum  
Deo accepta  
et Ecclesiæ  
proficiens.